

XXXI.

# CHRONOLOGIA ABBATVM ILSINEBVRGENSIVM,

*Ex MSto.*

**H**unc locum inhabitavit circa annum Christi 996. *Otto tertius*, Imperator Romanus; quia erat locus securus, densitate sylvarum circumseptus, & venationi commodus. Qvo anno *Hildewardus*, Episcopus Halberstadensis 8. mortuus est; cui in Episcopatu succedit *Arnolphus*, qui anno Christi 998. ab Ottone tertio hunc locum Illeborg impetravit, & Deo Sanctoqve ejus primo martyri Stephano acquisivit, ut ex prima fundatione constat. Cum autem Otto tertius moreretur, anteqvam forte literae donationis imperialis conficerentur; successor eius *Henricus II.* dedit Episcopo diploma regium super hac donatione anno 1003, ut ex literis donationis latius patet.

**EZILO I. ABBAS.** Post mortem Ottonis Imperatoris *Arnolphus* Episcopus Halberstadiensis castrum *Illeburg* commutavit in monasterium, &, ejeclis terreno Regi militantibus, fecit inhabitare Deo servientes. Nam Monachos, qvos eo tempore secundum ordinem Fuldenem religiosiores ac honestissimos invenire poterat, congregavit, & iis præpoluit Abbatem *Ezilonem*. Dehinc ecclesiam in honorem S. Petri Apostolorum Principis constructam, diversis prædiis (qva in fundatione recensentur) in usum Monachorum ibi commorantium collatis, dotavit.

Halberstadii in ipsa die Paschali, 8. Idus Aprilis, ad missam coram multa cleri, optimatum, vulgiqve freqventia ipsum monasterium *Illeborch* cum omnibus, qvæ ipse primus fundator eidem contulerat, banno suo, autoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, in perpetuam & quietam Monachorum possessionem, sub interminatione anathematis confirmans, privilegium super hac sigilli sui impressione roboratum, perpetuo munimine contulit.

Anno Domini M.XVIII, hic Abbas *Ezilo* postea in Episcopum Brandenburgensem electus est, ubi etiam mortuus, & in majori Ecclesia sepultus est. Ejus anniversaria celebrantur 10. Cal. Augusti.

**ULRICUS II. ABBAS.** *Ezilone* Brandenburgum vocato, *Ullicus* pro eo in Abbatem eligitur. Cujus temporibus defunctus est prædictus *Arnolphus* Episcopus, hujus monasterii fundator & patronus (a) anno MXXIII, cui succedit *Brancogus* in Episcopatum, & Brancogo *Burchardus primus*. Sub his duobus Episcopis Monasterium *Illeburg* cœpit monastica religione desolari; & per habitantes castrum, dictum *Ilzenstein*, ac reliquos violatores ad nihilum pene redactum est. Hic Abbas *Ullicus* in monasterio mortuus, & in medio Ecclesiae sepultus est. Ejus anniversaria celebrantur 2. Non. Januarii.

**HERRANDUS III. ABBAS.** Defuncto Episcopo Halberstadensi *Burchardo primo*, successit ei *Burchardus secundus*, qui & *Bucco* nominatus est, anno M.LX. cui *Henricus Rex* anno M.LXIII. XIII, Calend. Septembr. dedit regale prædium in *Adersted*, cum omnibus suis appendiciis in proprietatem, cum privilegio regalis ligilli impressione confirmans, ut de præfato prædio liberam haberet facultatem inde faciendi, qvicqvid ei placeret. Qvod statim idem Episcopus III. Nonas Maii anno M. LXIX. in *Quedelinburg* cum omnibus appendiciis suis, Monasterio *Illeburgensi* contradens, banni sui & privilegii auctoritate confirmavit; evocatoqve nepote suo, videlicet *Herrando* Abate *Wurcelburgensi*, prædictum monasterium *Illeburg* illi ea ratione commisit, ut ibi religionem monasticam, qvæ penitus defecerat, juxta regulam Beati Benedicti & Ordinis *Cluniacensem* renovaret. Qvo facto, crescente religione, crevit & numerus monachorum. Feicit itaque idem Episcopus antiquum templum destrui, atqve amplius in eodem loco construi; qvod annis novem perfecit, & adjuvantibus *Werneru* Merseburgensi, & *Hardewico* Fardunensi Episcopis, Nonis Junii, in honorem Petri & Pauli Apostolorum consecravit anno Domini MLXXXVII; qvam & diversis prædiis ac decimationibus, aliisque redditibus præter *Adersted* do-tavit. Hic Episcopus, postqvam Ecclesie Halberstadensi per annos 28. præfuerat, profectus fuit *Goslariam* in causâ qvadam, sibi à Pontifice commissa. Ibi exorta fuit lis inter suos famulos & qvostdam cives in platea. Episcopus, hoc audiens, aperuit fenestram, percontaturus, qvid ageretur. Mox civis qvidam sagittam in eum fecit, eumqve in gutture vulneravit, ex quo mortuus est.

III. Idus

(a) Arnolphi Episcopi Halberstadensis obitum Annales Halberstadienses in 7. Septembr. sequentis anni referuntur, annotante ad hanc Chronologiam Guilielmo Budzeo Medico,

Idus Aprilis anno MLXXXVII. & delatus est Ilseburgum; ubi in choro templi honorifice tumulatus est cum tali (a) Epitaphio:

Claustrifundator hujus Ilseburg, & amator,  
Hic jacet heu! stratus in Gosler, & hic tumulatus;  
Cœlitus ut cantor incepit: jam bone Pastor,  
Petre clemens; vota cecinit processio tota.  
Eae sunt in fossa Burchardi præfusis ossa;  
Quem, pie Christeqve, nos fac tibi perpetuos.

Post hujus Episcopi mortem eligitur *Dithmarus parvus*, qui fuit Diaconus. Sed ille intra XVI. dies postea mortuus fuit, quod ipse apud Deum suis precibus obtinuit; quia se non posse futiliter praesesse Ecclesiæ vidit. Alii volunt, eum veneno esse interemptum. Quo defuncto, dissensio orta est inter eligentes. Quidam enim eligebat *Fridericum*, alii *Dithmarum*: Junior autem pars eligebat *Dominum Herrandum* (b) Abbatem in Episcopum, quem *Urbannus secundus* Pontifex anno MXC. consecravit. Et quia pro suis æmulis oravit, ei nomen *Stephanus* imposuit, consecratumque *Halberstadtum* misit. Interim *Dithmarus* de scala cecidit, & mortuus est. *Fridericus* autem, qui etiam simile electus erat, postea à Pontifice *Paschale* depositus & excommunicatus fuit; & sic *Herrandus* mansit Episcopus. Adversarii tamen ejus quiescere non poterant, sed cum nihilominus persequebantur. At ille igne tribulationis adustus irreprehensibiliter vivens post multas tribulationes quas sustinuit, vera hostia Christi factus, V. Cal. Novembr. obiit, ac in monasterio *Reinsborne* sepultus est anno Domini M.C. III. Alii volunt, eum Ilseburgæ sepultum esse.

**OTTO, IV. ABBAS.** Herrando Abbatem ad Episcopatum Halberstadensem electo, successit in Abbatia *Otro*, vir religiosus & prudens, monachus ejusdem loci. Hierosolymam causa Christi petens, venit *Antinopolim*, & ibi mortuus, & incivitate *Bare* ad Sanctam Mariam sepultus est, anno Domini M.C. (XVI. Calend. Januarii.) Hoc etiam anno congregatio monachorum Ilseburgensium, cum recusaret obedire *Friderico* invatori Halberstadenli & excommunicato, coacta est ab eo claustrum suum egredi. Anno M. C. V. *Henricus Rex Junior*, Henrici Imperatoris IV. filius, patrem suum regno privavit. Quapropter per imperium schisma grave crevit, & mala multiplicata sunt in terra per XL. circiter annos. Quo facto præfatus *Fridericus* invisor, dicti Schismatis sautor & cooperator, de Simonia convictus, deponitur de Episcopatu. Monachi autem Ilseburgenses, qui eundem *Fridericum* pseudo-Episcopum declinantes, per quinquennium exularunt, ex jussu *Henrici Quinti* Regis honorifice regressi sunt.

**MARTINUS, V. ABBAS.** Monachi anno M. C. V. in monasterium regressi, *Martinum*, eisdem cenobii Monachum, ex familia Landgravorum Hassia II. Kal. Julii in Abbatem elegunt: quem *Ruthardus Moguntinus* Archiepiscopus in *Katelnborch* III. Iduum Novembr. consecrat. Hujus precibus inclinatus papa *Paschalis Secundus* mandavit *Adalgato Magdeburgeni* Archiepiscopo & *Lodewico Comiti*, terræ Saxoniae potentibus, ut bona, per *Henricum Imperatorem* quatum distracta, congregarent ad Ilseburgense claustrum, & congregata fideliter cum cœurs bonis defensarent. Et ud ad destructionem castri, adjacentis claustro, dicti *Ilsestein*, de quo plurima damna ipsi inferebantur, efficaciter insisterent, exoravit, castrumque inhabitates excommunicavit. Qui mandata Apostolica viriliter exsequentes, ad hoc tandem perduxerunt, quod ipsum castrum Abbatii *Martino* obsignatum est, qui & illud statim funditus evertit. Anno Domini. M. CVII. *Henricus Rex V. Rainardum* Halberstadeni Ecclesiæ Episcopum præfecit. Post anno M. CXX. Ilseburgense monasterium incendio periit. Eodem anno dedicatum est altare S. Crucis II. Non. Junii, & oratorium S. Johannis Baptiste Non. Junii, in Ilseburg à *Reinardo* Episcopo; qui postea anno M. CXXIII. obiit, in cuius locum successit *Otto* præpolitus S. Sebastiani.

Rer. 2

ni de

(a) Epitaphium hoc *Petrus Engelbrecht* Junior qui Abbatæ præfuit defunxit ex antiquo aliquo libro, & putat in litteris ad *Gvili. Budenm* scriptis, lapidem sepulchralem, cui illud insculptum fuerit, anno 1578. inter alios lapides sepulchrales structuræ Novi Templo, à Comite *Christophoro* factæ, adhibitum. *Burchardus* Episcopus Halberst. cuius hic fit mentio. 9. Kal. Augusti anno 1087. *Goslarie* fecit Diploma quoddam. Obiit ergo vel sub initium Icqvæti: quemadmodum & in quibusdam chartis anno 1088 dicitur decessisse. Successor ejus mortuus est. Idus Febr. anno 1088. notante codem *Petro Engelbrecht*. (b) Fuit Herrando cognomen de *Gröning*. Scribitur hic X. Kal. Novembri 1103. expirasse, cum tamen alii 1107. obitus anum definiant. Ex quibus utrumlibet si detur. sex annorum inter regnum quod obiitum ipsius exceperit, à plurimis adductum auctoribus, constare minime potest. quando vel ipse Reinhardus successor annum 1120. Episcopatus sui XIV. expresse nuncupat. Verba sunt *Guillelmi Budzi* in dubiis super hanc Chronologiam Ilseburgensem. Respondet *Petrus Engelbrecht*, se in antiquo quodam libro inventisse. Reinhardum mortuum esse anno 1103. Reinhardumque anno 1107. incessuisse, ut adeo inter regnum, per triennium vel quadriennium duraverit; didicisse etiam ex quodam libro antiquo & ex Chronico quodam MSto. Reinhardum anno 1127. obiisse. *Buddaus* contra asserit; ex diplomatis *Steinhardi* apparet; quicquid de anno obitus ejus. sicutus falsissimum esse.

ni de Magdeburg. *Martinus* quoque Abbas Ilseburgensis, utilitatibus sui monasterii fideliter semper intendens, postquam allodia nonnulla, & multos divinæ paginæ libros comparaverat, ac ædificans plurima consummaverat, mercedem suorum laborum à Deo recepturus, obiit XIII. Kal. Junii anno M.C. XXIX.

**HENRICUS, VI. ABBAS.** Prædictus Abbas successorem reliquit Henricum, ejusdem cœnobii monachum; quem Episcopus Spirensis VI. Idus Decembr. consecravit anno M. CXXXII. Anno autem præcedente Otto Episcopus Halberstadensis, Ecclesiam Hospitalem Ilseburgensem in honorem Sanctæ Dei genitricis consecravit, cui etiam [commendavit] curam peregrinorum, & omnium, in suburbio ejusdem loci degentiu. Cœmiterium in eorum sepulturam dedicavit, quæ prius intra ambitum ipsius cœnobii agebatur. Tempore hujus abbatis corpus *Sancti Godehardi*, Episcopi Hildesemensis cum magna miraculorum declaratione elevatum est, cuius reliquiae ab hoc abbatte Henrico, VIII. Idus Augusti Ilseburgum delatae sunt anno M.C. XXXV. Hic Abbas Henricus monachos Ilseburgenses irregulariter & injuriose corripuit, iisque multas tyrannicas oppressiones, violentias & molestias intulit; quas sapienter detulerunt Ottoni Episcopo Halberstadensi, sed frustra. Ideoque, culpis ipsius clarescentibus, tandem à Lothario Imperatore deponitur. Quo discedente, prædictus Episcopus Otto, qui in prædicti Abbatis tyrannidem consenserat, monachis fratrem suum *Burchardum*, Wimodeburgensem abbatem, obtrudere voluit; quod tamen Deus prohibuit, quia *Innocentius* Papa eum accusatum prorsus depositus. Punivit etiam Deus *Annonem*, Episcopum [an Abbas?] Luneburgensem, qui Abbatii Henrico pertinacius astiterat. Nam is pro traditione urbis Luneburgensis miserias timens, loco simul & dignitate, quam ex eo possederat, cessit. Acta sunt hæc anno M. C. XXXV.

**LAMPERTUS, VII. Abbas.** Huic in Abbatia successit *Lampertus*, ejusdem monasterii monachus; quem *Innocentius* Papa Pisis confirmavit anno M. CXXXVIII. Hic abbas rogatu *Rudolphi* Halberstadensis Episcopi protectus est Romam. Illic negotio, propter quod venerat, expleto, cum rediret, designatus est Episcopus Brandenburgensis. Verum in itinere à latrociniis miserabiliter interficitur in monte *Paskahl* (alias Special) cum Presbytero quodam, nomine *Gandolpho*, ubi etiam sepultus est XV. Calend. Februarii. Qvorum mortem *Innocentius* Papa agravens, interfectores illius anathematisatos, proprio abdicavit solo.

**SYGEBODO, VIII. Abbas.** Hunc secutus est in Abbatia *Sygebodo*, monachus ejusdem monasterii; quem consecravit *Rudolphus* Halberstadensis Episcopus. Hic Abbas quartam partem cœnobii, videlicet meridionalem, in quo refectorium erat, à fundo ædificavit, multosque divinæ paginæ libros, ac ornatum varium aptum suo monasterio comparavit, & collationefidellum in campanis, crucibus, Sanctorum capsulis, corona super corpus Christi latis operosè facta, variaque supellecstile, nobiliter ampliavit. Hic & aliis bonis operibus peractis, obdormivit cum patribus suis anno M.C. LXI. 8. Idus Novemb. & sepultus est in capella Beatæ Mariæ Virginis in ambitu.

**TETHERUS, IX. Abbas.** Mortuo Sygebodone successit in Abbatiam *Tetherus* sive *Tetherius* monachus ejusdem loci: qui postquam quartam partem claustrum, videlicet orientalem, in qua dormitorium fratrum cum infirmario situm est, ædificans perfecit, obiit anno M. CLXX. 17. Cal. Januarii, sepultus in medio Ecclesie.

**THIDERICUS, X. Abbas.** Hic [*Tetherus* scilicet præcedens] successorem reliquit *Thidericum*, monachum ejusdem monasterii, qui mortuus est XI. Cal. Febr. anno M.C. XCII. & sepultus in capella *Bonigerode*.

**BARTHOLDUS, XI. Abbas.** Defuncto Thyderico, in Abbatiam illi successit *Bartholdus*; qui postquam monasterio per aliquot annos laudabiliter præfuisset, sponte dignitate cessit, & sepultus est in medio Ecclesie.

**HERMANNUS, XII. Abbas.** Postquam Bartholdus dignitate cessisset, successorem habuit Dominum *Hermannum*, ejusdem loci Monachum, virum utique valde religiosum ac in scripturis sacris satis instructum. Mortuo hoc Abate 3. Idus Martii Anno M.CC. VII. fratres ipsum propter nimium rigorem, quem contra eos habuerat, nolabant inter collegas suos & prædecessores Abbates sepelire; sed in loco humili, sibi non decenti, videlicet in capella B. Mariæ Virginis in ambitu, sepulture tradiderunt.

**LUDOLPHUS, XIII. Abbas.** Hermanno defuncto, successit ei *Ludolphus*, dictus *Schlaende de Wänigstäde*, ejusdem loci monachus, vir prudens & rectus: qui & ipse pro utilitate sui monasterii insudavit.

In primis ab Ecclesia Lüneburgensi XIII. mansos emit in villa *Mülbecke*, pro 120. marcis. Redemit etiam jus advocatia pro XX. marcis ab *Hermanno de Harttike*, quod hic super multis bonis, ad monasterium Ilseburgense pertinentibus, jure feudali habebat & recognocebat à *Friderico* Episcopo Halberstadensi. Mortuus est 8. Calend. Oct. M. CCXV.

**SYGFRIDUS, XIV. Abbas.** Ludolpho defuncto anno M.CC. XV, major & senior pars monachorum Dominum *Syfridum*, ejusdem loci monachum, eligit; quem confirmatum consecravit Dominus *Fridericus* Halberstadensis Episcopus. Sepultus in medio chori, & celebratur ejus memoria VIII. Cal. Augusti,

JOHANNES

**JOHANNES**, XV. Abbas. Hic Abbas anno M. CC. XXXII. comparavit domum Goslaris, quæ singulis annis monasterio solvit 2. marcas. Comparavit etiam monasterio in annis sequentibus plura alia bona. Sepultus est in medio chori. Anniversaria ejus celebrantur VII. Calendar. Januar.

**HELIAS**, XVI. Abbas, dictus *de Groning*, sepultus est in medio Ecclesiae. Ejus memoria celebratur Kal. Januar.

**BERNHARDUS**, XVII. Abbas, dictus *de Oldenrode* anno M. CC. XLII. VI. Cal. April. ab Episcopo Halberstadensi *Mainardo* per manus impositionem personaliter fuit asseditus usum infulæ, secundum quod ex concessione Domini *Sigfridi*, Moguntinensis Archiepiscopi Abbates Ilolineburgenses acceperunt: ut uti possit in domo propria vel apud Episcopos Halberstadenses, tam in festivitatibus quam in synodis existendo, vel, si ad alia loca Abbas venerit, secundum quod faciunt ali Abbates, qui utuntur infulis beatis. Idem *Mainardus* Episcopus donavit huic Abbatii Ecclesiam in *Abbenrode*, ut inde faceret præposituram de sex personis, ex suis fratribus eligendis. Actum anno M. CC. XLIII. Kal. April. Tempore hujus Abbatis Comes quidam *Regensteinensis* pro monacho receptus est in monasterium. Cujus parens *Ullricus* Comes anno M. CC. LI. dedit monasterio IV. manos, in *Marbecke* sitos, cum conditione, ut filio monacho inde singulis annis ad vitam in festo Martini dimidiam marcam porriganter. Sepultus est in *Osmersleben*, ejus anniversaria celebrantur 7. Cal. August.

**GEBHARDUS**, XVIII. Abbas, sepultus est in *Bonigerode*. Ejus memoria celebratur III. Kal. April.

**BERNHARDUS**, XIX. Abbas, sepultus est in *Abbenrode*, monasterio monialium; cuius anniversaria celebrantur V. Jdus Julii.

**HYGOLDUS**, XX. Abbas. Hic anno M. CC. LXIII. emit à *Bia* Abbatissâ Claustrî Montis S. Mariæ Virginis in *Quedlingburch*, consensu *Gertrudis* Abbatissæ majoris Ecclesiae ibidem, mansum unum, situm in villa *Huslere*, corum tritici annua pensione solventem, pro XVI. marcis Halberstadensis argenti. Huic etiam Abbatii vendidit *Fridericus* Comes de *Wernigerode* cum consensu *Geverhardi* & *Conradi* Comitum de *Wernigerode* advocatiam in *Telkforde*, reservato ibidem iudicio sanguinis, anno M. CC. LVIII. Hic Abbas sepultus est in *Wanleffesrode*, quod modo dicitur *da Zellholtz*, in Ecclesia sancti Stephani protomartyris. Anniversaria celebrantur IX. Kalend. Februarii.

**HENRICUS** 2, XXI. Abbas, dictus *Paschalis*. Hic Abbas anno M. CC. LXXXI. bona in *Aderstedt* & circumiacentia ab omni jure advocatiæ, quo nobilibus de *Plotzka* obstricta erant, liberavit. Comparavit etiam Monasterio plurima alia bona; quæ omnia probaverunt & auxerunt *Hebradus* Episcopus IX. Halberstadensis, & *Conradus*, *Albertus* & *Fridericus* Comites de *Wernigerode*. Hic Abbas sepultus est in capella Beatae Virginis in ambitu. Ejus in memoria celebratur XVII. Kal. Julii.

**BORCHARDUS**, dictus *de Kramme*, XXII. Abbas, anno M. CCC. patroni ordinis, sicut scilicet nativitatis Mariæ, peragere constituit annis singulis in Ecclesia Ilolineburgensi perpetuis temporibus, & ad servitium assignavit quinque fertones de quadam curia in *Osterwieg*. Sepultus est in medio Ecclesiae. Anniversaria ejus celebrantur VII. Jd. August.

**HENRICUS** 3, XXIII. Abbas filius *Henrici* Comitis de *Klettenberge*, electus est in Abbatem anno M. CCC. IX. Eodem anno Fratres monasterio amoti fuerunt usque ad quartum annum, per Comitem *Albertum de Wernigerode*. Hic Abbas elapsis VII. annis resignavit. Sepultus est in capella Beatae Virginis in *Bonckenrode* in die *Claus*, bey *Heckstedt*. Ejus anniversaria celebrantur 3. Jdus Augusti.

**ALBERTUS**, XXVI. Abbas Henrico successit, dictus *de Borchdorff*, qui electus est in Abbatem anno M. CCC. XVI. Cujus tempore Monachi iterum exularunt in quartum annum. Anno autem M. CCC. XX. in die Beatae Ceciliae facta est compositio inter hunc Abbatem ex una, & Comites de *Wernigerode*, *Fridericum* & *Geberhardum* fratres, ex altera parte, super controversias præteritis, & Comites restituerunt monasterio quinque manos circa *Wolingerode* & *Backenrode*; item sylvam das *Ritterholz* pro C. XXX. marcis puri argenti; item sylvam dictam *den Suden* pro CL. marcis puri argenti. Ejus memoria celebratur 2. Kal. April.

**DETMARUS**, XXV. Abbas Alberto Abbatii successit, dictus *de Hardenberge* circa annum M. CCC. XXIX. Cujus tempore Magister *Thidericus de Wellede*, sacerdos Ecclesiae Sanctæ Mariæ in Halberstadt, & alii ibidem, constituerunt XII. marcas annuas in testamento pro anniversariis. Hic etiam anno L. liberavit bona circa *Aderstedt* ab onere, quod dicebatur *Vogeskoren*. Sepultus est in medio Ecclesiae V. Jd. Jan. anno M. CCC. LIX.

**LIPPOLDUS**, XXVI. Abbas. Anno M. CCC. LXIX. V. Jdus Januarii Indict. XI, concurrere vi decimatione, Abbatie *Dithmaro* de medio sublati pia memorie: eodem anno continuo, & proximo XVI. Kal. Februarii *Lippoldum*, dictum *de Kramme* presbyterum, Confratrem monasterii in *Ilolineborch*, circiter horam vespertinam in capitulo canonice & concorditer elegerunt in Abbatem & patrem spiritualem; cumque, ut est moris, electum & pronunciatum, pro confirmatione.

firmationis beneficio *Alberto* Episcopo Halberstadensi transmiserunt; quem etiam confirmavit, ei. demque manus consecrationis pie imposuit. Ejus memoria celebratur VI. Non. Julii.

**WIPERTUS, XXVII. Abbas.** Hic Abbas, *Wipertus dictus*, nobilis, abbatie non diu praeftuit, sed eam sponte, liberè & benevolè resignavit, tempore *Ludovici* Episcopi Halberstadensis. Ejus anniversaria celebrantur Nonis Julii.

**ANNO, XXVIII. Abbas.** Cum discretus vir Dominus *Wipertus* sponte resignasset abbatiā, Conventuales religiosum virum, Dominum *Annonem de Oberg*, Confiatrem ejusdem monasterii, in Abbatem concorditer elegerunt, & à *Ludovico* Episcopo Halberstadensi confirmationem petiverunt. Verum cum negotio indiscluso non sit præcipitanter manus alicui imponenda: ideo præfatus Episcopus præcepit præposito in *Drübeck*, ut *Ilsineburgam* accedat, & publicè proponeat, præfatam petitionem esse Episcopofactam; vocatis ad hoc omnibus, qui fuerint evocandi, & citatis peremptoriè omnibus & singulis, si qui fuerint oppositores vel contradictores, ut feria 2. proxima post Festum Corporis Christi, coram Episcopo aut Commissario ejus compareant ad opponendum, si quid oppositionis vel contradictionis sibi coepit. Hic Abbas S. Ecclesiæ Mariæ in Halberstadt decimam in *Bersell* pro LXXX. marcis puri argenti, cum pacto de retrovendendo, vendidit; item *Henrico de Patten* Vicario Halberstadensi 25. solidos pro V. marcis puri argenti, qui census tamen sub *Ludovico* abate postea Monasterio donatus est cum pacto; ut inde creditori anniversaria celebrentur.

Hunc Abbatem Dominus *Ernestus*, Episcopus Halberstadensis propter retardationem solutionis procuracionis Episcopo solvenda, excommunicavit & excommunicatum publicè denunciari mandavit. Cum autem postea Episcopo satisfaceret, cum iterum ab excommunicatione absolvit, mandavitque Rectoribus divinorum dœcesis Halberstadensis, & præsertim in *Wernigerode* ut præfatum *Annonem* sic absolutum coram plebe publicè denunciarent. Hic Abbas sponte renunciavit Abbatia anno M. CCC. XCIII. Ejus memoria celebratur 8. Idus Aug.

**NICOLAUS, XXIX. Abbas.** Vacante Abbatia per liberam res ignationem Domini *Annonis de Oberg*, Conventuales in loco capitulari congregati, venerabilem virum Dominum *Nicolaum* dictum *Tribut*, conventualem ejusdem monasterii, in abbatem concorditer elegerunt, & *Ernesto*, Episcopo Halberstadensis supplicarunt, ut dictam electionem autoritate ordinaria confirmaret; qui mandavit Decano Ecclesiæ in *Wernigerode*, ut præfatum Dominum *Nicolaum* in possessionem corporalem, effectualem & realem dictæ Abbatiae ejusque jurium & pertinentiarum intromittat, atque realiter & cum effectu introducat. Actum *Gröning* anno M. CCC. XCIII. feria sexta proxima post diem Beati Martini. Hic Abbas vendidit antecessori suo *Annoni de Oberg* villam in *Puleritz* pro XXX. marcis puri argenti, quam venditionem Episcopus Halberstadensis *Ernestus* ægre tulit. Qvæstionem igitur *Annoni de ea* movit. Ejus anniversaria celebrantur 2. Non. Julii.

**LUDOVICUS, XXX. ABBAS.** Abbatia per obitum Nicolai abbatis vacante, Fratres proximum virum, Dominum *Ludovicum Bogelsack* in patrem & Abbatem corde & concorditer elegerunt, ad *Ernestumque* Episcopum Halberstadensem supplicarunt, ut eam electionem approbatet electumque confirmaret. Quem deinde Episcopus confirmavit, præcepitque, ut ei debitam præsentem obedientiam; mandans in super Decano Ecclesiæ S. *Sylvestri* in *Wernigerode*, ut cum novo illo Abbate monasterium *Ilsineburgense* accedat, ipsumque in possessionem dictæ abbatiæ realem auctoritate Episcopi introducat. Actum *Wegeleben* anno M. CCC. XCIV. ipso die Beati Jacobi Apostoli.

Tempore hujus Abbatis familia Comitum de *Wernigerode* extincta, & ultimus, nomine *Henrycus*, mortuus, & Comitatus *Wernigerodensis* ad Comites *Stolbergenses* devolutus est. Anno (a) igitur M. CCC. IX. feria sexta paschæ Comites in *Stolberg* acceperunt comitatum *Wernigerodensem* in feudum ab illustrissimo Archiprætule Magdeburgensi (ab initio hujus monasterii anno 434.) Hujus Abbatis memoria celebratur 3. Kal. Octobr.

**HENRICUS 4. XXXI. Abbas** dictus *de Brunsvig*. Sepultus est in medio Ecclesiæ. Ejus memoria celebratur IX. Cal. Junii.

**HENRICUS 5. XXXII. Abbas.** Hic Abbas *Henricus*, dictus fuit *de Overbeck*, sub quo resumpta est regularis observantia. Ejus anniversaria celebrantur 9. Kal. Decemb.

**JOHANNES 2. XXXIII. Abbas**, sepultus est ante altare S. Stephani retro chorum. Ejus anniversaria celebrantur 2. Non. Novembr.

**HENRICUS 6. XXXIV. Abbas**, anno M. CCCCLII. à Pontifice *Nicolaio* obtinuit privilegium, ut Monachis in *Ilsineburgk* propter defectum piscium & alias necessitates, licitum esset comedere.

(a) Familia Comitum Wernigerodensium non nisi anno Christi 1429. vel ut alii volunt 1416. ultimo *Henrico* Comite defuncto, extincta fuit juxta Budæum. Forte legendum fuit M. CCC. XXIX. Memoria Comitis agebatur in Monasterio 4. Non. Jun. — Ceterum diuturna fuit controversia inter Archiepiscopum Magdeburgensem & Episcopum Halberstadensem de Dominio directo comitatus Wernigerodani.

medere carnes singulis septimanis tribus diebus, videlicet, dominicis ac tertiiis & quintis feriis, simul in refectorio aut alio loco, nisi jejunium ab Ecclesia institutum, in aliquem predictorum dierum evenerit. Hic Abbas obtinuit etiam *literas protectionales* super Monasterio ejusque bonis à Friderico Marchione Brandenburgensi, tempore Bodonis Comitis de Stolberg & Wernigerode. Aclum anno M. CCCC. LII. Sepultus est circa altare S. Bartholomaei. Ejus anniversaria celebrantur 6. dies Januarii.

## APPENDIX.

HERMANNUS, XXXV. Abbas, dictus de Honover, ad hanc dignitatem pervenit circa annum MCCCCLXXXVIII. Multa ædificia perfecit in Monasterio, ut patet ex annorum inscriptione, fundi & perfici etiam curavit campanam, quæ est secunda à majore, ut constat ex seqventibus versibus, illi inscriptis:

Hoc vas sacratum Petro Pauloque dicatum  
Virgo melodia nomen cui reple Maria,  
Ut queat omnia vincere noxia, læte tonare,  
Pellere fulmina, plangere funera, festa sonare,  
Quatuor elapsis annis modo mille quingentis  
Viribus Abbatis Hermanni Honoverensis,  
Atque manu artificis Hermanni Hildesemensis,  
Olim delecta, en, sum studiose reducta.

Hic Abbas obiit anno M.D.XVI. 18. Kal. Januar.

JOHANNES, XXXVI. ABBAS, dictus Henne in Abbatem creatus est anno MDXIX. Monasterium etiam ædificiis auxit. Major etiam campana tempore hujus Abbatis, videlicet anno XX, fuit, ut patet ex versiculis inscriptis:

Ingeniosa Patris Abbatis cura Johannis  
Hic in honore pie campanam dedicat, Amen.  
Attribuitque bonis Petro Pauloque patronis,  
Per manus artificis Hermanni Hildesemensis.  
Laudo Deum verum, pestem fugo, colligo clerum;  
Defunctos ploro, plebem voco, Festa decoro.

Hic Abbas mortuus est anno M.D.XXI. 2. Non. Martii.

HENNIGUS, XXXVII. ABBAS. Defuncto Abbatte Johanne: Prior, Senior, cæterique professi in Ilseburg, ad quos abbatis elecțio spectat, capitulariter vocati & congregati, rite in Abbatem elegerunt fratrem Henningum Brandes, ejusdem Monasterii protellum; quem Albertus Cardinalis & Legatus Ecclesiæ Magdeburgensis & Moguntinæ sedis Archiepiscopus, & Halberstadiensis Ecclesiæ administrator s. Aprilis anno M.D.XXI. diplomate suo confirmavit. Hic Abbas mortuus est anno M.D.XLVI. s. Id. Decembr. Tempore hujus Abbatis Comites de Stolberg incepunt ædificare ustrinas & officinas mechanicas in Ilseborg; cui negotio præposuerunt primo Henricum Mensel, postea Christophorus Frium; Henricum Zigenhornum & alios; in primis autem Petrum Engelbrecht, qui huic negotiatio per XL annos præfuit.

THEODORICUS, XXXIX, Abbas. Heningo defuncto, successit ei in Abbatia Theodoricus Mepes, qui postquam Monasterio per annos XIII. præfuit, mortuus est anno M.D. LX. mensie Januario.

HENNIGUS, XXXIX, ABBAS. Defuncto Theodoro, Dominus Christophorus, Comes Stolbergensis & Præpositus Halberstadensis Abbatiam ambiit: quod ejus frater Albertus Georgius non tantum diffidavit, sed & interposita protestatione per Notarium & testes reliquis Monachis ininxit, ut alium ex medio illorum more solito eligerent. Ideoque elegerunt Henningum Dithmarum Hildesensem, tum temporis concionatorem Wasserslevii, qui deinde anno M.D.LXXII. Sabbatho ante Margaretae apoplexia mortuus, & in templo Monasterii non procul à turre sepultus est.

CHRISTOPHORUS. Abbatte Henningo defuncto, Dominus Christophorus Comes de Stolberg, & præpositus in templo Cathedrali Halberstadensi, pro Administratore admisus est Monasterii in Ilseburg, sed sub cautione de non alienandis bonis Monasterii & præstandis iis, quæ Dominis Comitibus ex Monasterio debentur; quemadmodum ex literis ejus reversalibus patet de dato anno M.D.LXXII. Anno postea IV, videlicet LXXVI, die XXIV. Maji in vigiliis Urbani, ingenti pluvia fluvius Ilse in tantam excrevit magnitudinem, ut saxa immensa magnitudinis & ponderis loco moveret, & per longum tractum secum duceret; ex qua inundatione in una nocte Ilseburga XXXV. homines, & ædificia XXII. perierunt, & alia plura damna data sunt. Cum autem Dominus Comes Christophorus postea Comitatum Königsteinensem nactus esset, & propter loci distanti-

am

am Monasterii administrationi commode præesse non posset: eam *Petro Engelberto* seniori (a) anno MDLXXX. in die Philippi & Jacobi commisit, eumque certis pactis sibi substituit. Cum autem Comes *Christophorus* anno sequenti LXXXI. mense Augusto in *Königstein* moreretur; administratio plenaria Monasterii usque in annum XCV. penes Engelbertum permanxit: quam postea Domini Comites sibi ipsis assumserunt.

### *Charta prima fundationis Monasterii Ilseburgensis.*

**N**otum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris Christi fidelibus, qualiter *Hilfinneburgensis* Cœnobium primus sit inceptum & perfectum, quæ devoteione & amore Christi consecratum, Monachorumque habitationi in perpetuum fuerit traditum. Ego denique ARNOLPHUS Halberstadensis Episcopus, Ecclesiæ meæ utilitati semper providere studens, castrum quod *Hilfinneburg* dicitur, cum omnibus circumquaque positis, tertio Ottone Imperatore tradentes, Deo Sanctoque ejus primo martyri Stephano acquisivi, quod & pro animæ meæ, prædecessorum successorumque meorum remedio, divino famulatui dicavi. Nam memorato Principe defuncto, habitoribusque loci ejusdem eliminatis, Monachos, quos his temporibus secundum ordinem *Vul densim* religiosiores inveni, ibidem collocavi. Dehinc vero Ecclesiam venerabiliter constructam, in honorem omnipotentis Dei, Sanctique Petri Apostolorum Principis, dedicavi, eamque diversis prædiis & decimationibus subternotatis, ad subsidia Christo illic famulantium, protestate & facultate dotavi. Igitur in ipsib[us] eodem loco dedi mansum cum omnibus sibi adjacentibus, quæ nostri juris noscuntur, scilicet cum terris cultis & incultis, agris, pratis, pascuis, campis, sylvis, aquis aquarumque decursibus, rivis, punctionibus, molis, molendinis, viis & inviis, exitibus & redditibus, quæstis & inqvirendis, atque cum omni utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit. Dedi etiam in *Berner diggerode* IX. cum sylva adjacente, decimamque ejusdem villæ, in *Sutherrode* II. mansos, in *Scaun* VII. mansos & dimidium, cum decimatione ejusdem villæ, in *Birtelevo* XI. mansos cum decimatione ejusdem villæ, in *Lieren* I. mansum, in *Thierer zig gerode* VII. mansos decimamque ejusdem loci, in *Aldenrode* VIII. mansos, in *Culisberi* dimidium mansum, in *Gentilevo* dimidium manum, in *Beddige* X. mansos, in *Isig gerode* III. mansos, in *Warmeresborpe* VI. mansos, in *Thiedestorpe* II. mansos. Has quoque decimationes dedi in *Dudiggerode*, in *Winderode*, in *Brodesende*, in *Lutherig gerode*, in *Boniggerode*, in *Emmenrode*, in *Geschenrode*, in *Ezig gerode*, in *Bacchenrode*, in *Benezig gerode*, in *Wallig gerode*. Ne autem aliquid à futuris Praefulibus vel Clericis, seu personis secularibus, super id, quod ordinatum est, ordinetur, ut videlicet ejus Monachis Clerici, quod absit, intromittantur, seu rebus, à nobis sibi concessis, spolientur; mancipatu loco illi providentes, hæc à nobis statuta B. Petri Apostolorum Principis & B. Stephani Protomartyris sub anathematis vinculo obligamus. Data VIII. Iudus Aprilis anno Dominicæ Incarnationis M.X.VII. Indict. I. Actum Halberstede in Dei nomine feliciter, AMEN.

### XXXII.

## DE ORIGINE ET ABBATIBVS MONASTERII LVCCENSIS, EX MONVMENTIS.

### *Vetus narratio de fundatione Monasterii Luccensis.*



Nono creationis mundi, secundum Dionysium & Bedam, quinque millesimo quadragesimo tertio decimo; anno Dominicæ incarnationis 1163, à Passione Domini 1127. Cyclo solari 43. anno ejus 5. Cyclo Lunari 62. anno ejus 7. Cyclo Jubilæi 19. anno Jubilæi 47. Cyclo Epactarum 45. anno ejus 7, Epacta autem 14. Cyclo decemnovali 63. anno ejus 1. Cyclo Indictionum 79. anno ejus 11, Indictione 11. Cyclo Claviuni 62. anno ejus 5, clave autem 12. Cyclo concurrentium 43. anno ejus 5, concurrente III, aurei numeri VIII, secundo anno à bisexto, litera Dominicali D. Luna paschali decima septima, termino paschali, tertio April. Pascha vero existente 11. Cal. April. post transitum B. Bernhardi Abbatis anno ejus 11. Presidente SS. Romanæ Ecclesia summo Pontifice *Lucio*; imperante Rom. Rege *Friderico*; sub DN. *Wernero*, venerabili Mindensis Ecclesiæ Episcopo.

In

(a) Hujus filius Petrus Engelbrecht junior, postea autocitate Comitum Abbatiam administravit.